Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Postilla super Osee, Iohel, Amos, Abidiam, Ionam, Micheam, Abacuk, Sophoniam, Aggeum, Zachariam, Malachiam, Thobiam, Baruch cum epistola Ieremie, Iudith, Machbeorum I. II, libros Sapiente, ...

Nicolaus <de Lyra>

[Reichenau], [15. Jahrh.]

Postilla super epistolam Ieremie

urn:nbn:de:bsz:31-87081

Visual Library

Incipit Epistola Jeremie. Capitulum Septimum. vi)

P Ropter peccata que fecistis. Hec est
secunda pars principalis huius libri in qua
ponitur epistola Jeremie ad iudeos qui
captivi erant in babilone cuius scriptor
fuit baruch propter quod adiungitur eius
libro et dividitur in tres partes. In
primo ponitur huius captivitatis causa
2o prohibetur ydolatria que ibi erat 3o
solvitur multiplex agnomia que ibi
legitur. Circa primum dicit propter
peccata que fecistis ante deum et in urbe
qui erat electa ad divinum cultum et
etiam in templo. Nam in plateis
ierusalem et in atriis fuerunt are edifica-
te ad cultum ydolatrie. Ut patet iiii
Re. et ii paralip. Adducemini in babi-
loniam captivi. Responsio videtur quod
hec epistola fuit scripta post transmi-
grationem ioachim et aliorum qui cum
eo ducti fuerunt in babilone quarto re-
gni xxiiii et ante captivitatem

generalem sub rege sedechia facta
et sic Jeremias in hac epistola loquitur
huic captivitati per modum futuri sicut
in epistola missa transmigratis
cum ioachim que habetur Jeremie xxix loquitur
per modum preteriti. Verum tamen quod
hec secunda epistola non fuit in babilo-
niam missa donec post mortem
Jeremie baruch illam portavit ibi-
dem et eam legit transmigratis
cum ieconia et captivatis cum sedechia
usque ad generationes septem id est usque ad
septem decades que fiunt septuagin-
ta annos. Secundum tamen hebreos de-
ficiunt quatuor anni vel quinque ut
infra videbitur. Sed hoc dictum videtur
deficere primo in hoc quod tempus decem
annorum computatur pro una generatione
quia puer decem annorum generare
non potest secundum communem cursum nature.
Scriptura vero loquitur de generatione
secundum modum nature consuetum. 2o
quia non fuerunt nisi septem decades
complete ut dictum est secundum compu-
tationem hebreorum quam communiter se-
cuti sumus et ideo videtur michi quod
tempus septem generationum inchoan-
dum sit a transmigratione ieconie
et terminandum in populi reditu in
babilone facta per esdram ut habetur
primo esdre viii et vii que facta
fuit septimo anno darii secundum com-
putationem quam in precedentibus libris
secuti sumus tamquam veriorem da-
nielis ix et in principio libri hester.
hoc autem tempus fuit centum tri-
ginta annorum vel ad minus centum

viginti Nam a transmigratione
ieconie usque ad captivitatem cum sedechia
a rege susceperit xi anni et inde
usque ad primum annum monarchie cyri quin-
quaginta duo et inde usque ad cambi-
sem filium eius tres anni secundum hebreos
secundum alios autem hystoriographos xvii
anni Post hunc cambises regnavit
viii annis et post eum assuerus xl
et post eum filius eius darius alio nomine
artaxerses dictus xvii annis Anni
isti dicti simul iuncti faciunt annos c
xx computatis tamen tribus annis
monarchie cyri computatis uero xii
faciunt annos cxxx vel cxxix In
tanto uero tempore complentur bene sep-
tem generationes secundum cursum nature qui-
uenes enim xvi uel xvii annorum possunt
naliter generare propter hoc autem conuenien-
ter inde impare cum esdra sacerdo-
te Nunc autem hic contra areto-
spolus ab ydolatria cum dicit Nunc autem
uidebitis in babilonia deos aureos et
ydola in humeris sacerdotum portari
ostentantes metum gentibus ad adm-
ittiendum eis timorem Ad cuius in-
tellectum sciendum quod sicut primo regum
iiii archa domini per sacerdotes fuit
portata ad exercitum ad mittiendum
terrorem philisteis et sic rege existente
in exercitu existente sunt processiones
presens et alibi in quibus exercitus
portantur reliquie sanctorum in corpo-
ribus eorum et sunt exercitus ad
inueniendum aduersariis confundant
Sic pro salute regis babilonis
ydola portabant cum sacerdotibus hu-
meris quod subditur ante atque tur-
ba babiloniorum retro et ante Nam in
tali deportatione aliqui precedebant et
aliqui sequebantur ydola sicut in pro-
cessionibus christianorum aliqui precedunt
et alii sequuntur sanctorum corpora adorantes
deum enim Dicite in cordibus uestris si
in palam dicere non audetis quod deus
aperte in finibus Te oportet adorari domine
et non ydola vana angelus autem
meus uobiscum est Hoc dicitur in persona
dei et accipit de exodo xxiii Ipse autem
exquiram animas uestras de manu illorum
qui uos affligunt iniuste Et accipitur
hic enim deus de genesi xx Nam lingua
hic tertio ponitur ydolatrie multi-
plex agnomina que multis deductionibus
concluditur et probabunt quas prosequen-
do Nam prima deductio accipit ex
corporis fabricatione et ornamento cum dicit
Nam lingua ipsorum aliqui dicunt lig-
ea quod subditur postea et non possunt lo-
qui Sed hoc non uidetur michi Nam
ymagines fabricantur et formantur
ore clauso et sic non apparet lingua
nec fit in eis Sed quia constructio
planior est dicitur cum dicit Nam ligna
ipsorum a ligno ex quibus sunt ydola
pollita sculptile sunt a fabro ligneo
Ipsa autem inaurata et in argentata de
super falsa sunt licet enim lignum
aurum et argentum et huius que sunt ma-
teria ydoli sunt res uere naturales
tamen inquantum ad id quod significant
ydolum ex eis factum falsa sunt Quod
dicit apostolus prima corinthios viii Quod ydolum
nichil est in mundo Propter hoc etiam
quod dicitur falsa sunt in plurali patet

q(uod) in principio versus non est lignam
singulari et non possunt loqui q.d. si con-
verti dii possent loqui. Et sicut virgi-
ni amanti ornamenta sumpsit sic ydolis
sunt ornamenta et si diligunt talia tamen
tamen nichil possunt diligere. Quod sub-
ditur Unde et subtrahunt sacerdotes
etc. Si enim essent dii veri diligentes talia
non permitterent sibi subtrahi non liberantur
ab erugine et rubigine quantum ad aurum
argentum et ad alia metalla ex quibus
sunt ydola et a tinea quantum ad ligna
ex quibus fiunt et vestes quibus operiuntur
que a vermibus corroduntur. Extergent
faciem eorum quia ydola non possunt
se extergere. Cetera patent usque ibi Habet
autem ydolum in manu gladium et se-
curim. Sic enim formabatur ydolum mar-
tis qui dicebatur deus belli. Se autem
debello etc. Frequenter enim in veteri testamento
legitur quod devictis ydolatris rapiebantur
auctoribus eorum ydola et ex predictis
concluditur. Unde volens notum sit
etc. Sic quod in eis nichil est numinis nec eis
est aliqua reverentia exhibenda.
Sicut enim hic ponitur quarta deductio
ad eandem conclusionem et accipitur ex
defectu utilitatis eorundem. Sicut enim
vas hominis confractum inutile efficitur
ad offendendum quantum ad materiam tamen aliquid-
do valet ut fragmenta cyphi argen-
ti et potti. Similiter ydola que diu
stant in qualibet forma nichil valent
materia autem ut aurum et argentum
valet ad alios usus. Et sicut aliqui
qui regem offendit circumsepte si-
[illegible] ne possit exire de carcere sunt

sicut ad sepulchrum adductum mor-
tuum antiquitus enim in sepulcris po-
tentum ponebantur preciosa propter
quod claudebantur fortiter et cum
diligentia ne a latronibus raperentur
Ita tutant sacerdotes ostia templorum
ne a latronibus expolientur sic
ydola ab ornamentis suis preciosis lucer-
nas accendunt etc. Quasi dicat hoc in-
utiliter et frustra. Corda eorum etc.
Aliqua enim ydola erant intrinsecus vacua
et extrinsecus erea vel lignea et sic
serpentes qui terram comedunt quando
in terra comedis cunctis diebus
vite tue intrando ydolorum que erant
quasi corda eorum consumebant. Nigre
sunt facies eorum a fumo qui in do-
mo fit comburantur enim ibi thura
in veneratione ydolorum et ex fumo
descendente denigrabantur facies
eorum. Super corpus eorum et super
caput eorum volant noctue et hi-
rundines et aves in similitudinem a-
videm facientes ex quibus conclu-
ditur sicut prius. Unde sciatis
quia non sunt dii etc. Aurum
etiam hic quinta ponitur quinta
deductio ad idem et accipitur ab de-
fectu sue speciositatis cum di-
citur aurum etiam quod habent speciei ad decorem
nisi aliquis extersit eruginem
supra existentem non fulgebunt sed
magis obscura erunt. Neque enim
cum conflaretur in fornace sentiebant
quia nichil habent vite. Quod subditur
ex omni precio et ostentantes et mani-
feste ostendentes ignobilitatem

siccam hominibus Pectus enim quod portant patet quod non habent virtutem gressivam confundantur etiam qui colunt ea et debent confundi ipse incipit colentes sicut deos talia multa virtutem habentia propterea si ceciderint in terram ex pondere materie ipsemetipsis non consurgunt et propterea virtute non possunt surgere Neque si quis eum et ydolum statuerit rectum per semetipsum stabit quod est minus sed sicut mortuus et vita multa habentibus homines illis apponunt et filamenta aliena quibus sustentantur Hostias illorum vendunt sacerdotes Nam ydola comedere non possunt sibi oblata et abutuntur et hostiarum precio ad illicitos usus vertunt Similiter et mulieres eorum decerpentes et sibi rapientes de talibus hostiis et carnes predictas Neque infirmo neque mendicanti aliquid impertiunt et de huiusmodi hostiis alia indigentibus nichil largiri possunt De sacrificiis eorum fete et menstruate et mulieres in immunde contingunt quod non permitterent si essent dii vi quod concludit scientes quia non sunt ¶ Unde enim hic consequenter posita deductio ad eandem conclusionem et incipit a sacerdotum cupiditate cum dicitur per modum questionis Unde enim vocantur dii et reputantur ¶ Et respondet dicens quia mulieres de facili deceptibiles apponunt diis argenteis etc. Oblationes et munera que reddunt ad usus sacerdotum et sic assentiunt

ydola deos etc. propter lucrum quod subditur et in domibus illorum et in delubris illorum sacerdotes sedent et manent Sicut dicitur primo predictis mendaces multo tempore et mansistis sic sacerdotes ydolorum in templis manebant ad colligendum pecuniam et oblationes habentes tunicas scissas et capita et barbam rasam in signum meroris et tristicie quasi lugent pro expiatione peccatorum offensum ydolis Ideo subditur Rugiunt autem clamantes contra deos suos scilicet coram ydolis sicut in cena mortui facta pro mortuis Convivantes enim super sepulta de novo mortuorum comedebant laute et bibebant et per causam exclamabant quasi lugentes mortuos Sic sacerdotes ydolorum de sacrificiis et oblationibus laute vivebant et exultantes exclamabant coram ydolis quasi satis facientes pro offensum peccatis Vestimenta eorum auferunt sacerdotes ut mulieres decepte de novo afferant novas vestes et hoc ad sacerdotum lucrum quod subditur et vestiunt uxores suas de vestibus amotis ab ydolis ¶ Consequenter ostenditur ydolorum impotentia in multis exemplis cum dicitur Neque si quid mali patiuntur etc. et patet littera usque ibi lapidibus de monte similes sunt qui inde movere se non possunt nec aliquid agere quod concluditur in fine Unde ergo estimandum est etc. ¶ Ad hoc enim hic consequenter ponitur deductio quinta ad idem et incipit a caldeorum vilipensione qui cum cent

cultores ydolorum aliorum tamen qui ha-
bebant intentum vilipendebant ea et
hoc est quod dicitur Adhuc enim ipsis caldeis
non honorantibus ea id est vilipenden-
tibus ea minus dicit et plus significat
qui si caldei cum audierint mutum
non posse loqui id est proprium sunt eius
ex dictis apertius videbatur vaccas ubi cum
accipitur inde pro audire et hic eodem modo
audire pro videre Cognoscitur enim homo
esse mutus per nutus et signa que ipse
facit potest etiam hic accipi audire
proprie quia muti aliquando proferunt vo-
ces inarticulatas tamen et sic per auditum
percipitur quod sunt muti Offerunt
illud ad bel nomen est ydoli babiloni-
orum Danielis xiiij postulantes ab eo
id est ab ydolo loqui quasi mutus possit
loqui quasi possint sentire id est postu-
lationes eorum percipere qui non sunt mota
sed dii aliorum vel ydola Et ipsi scilicet
caldei cum intellexerint ydola nichil
posse Relinquent ea ipsa vilipende-
do quasi dicat multo fortius filii israel
qui specialiter prohibita est ydolatria
debent contempnere ¶ Mulieres autem
Hic ponitur quidam modus turpis
ex quo contempnanda sunt ydola
Mulieres enim fune cingebant se su-
pernis quasi ligate aliquo magno cri-
mine sedentes in via per quam homines
transibant ad ydola et cum aliquis
eorum transiens trahebat unam illarum
extra viam precindens eius funem
carnaliter cognoscebat eam illa re-
putabat se liberatam a crimine commisso
credens quod ydolum quod ydolum misisset
eam viro in signum liberationis sue

et rediens ad sociam exprobrabat
ei quod non fuerat digna ab ydolo sic vi-
sitari et hoc est quod dicitur mulieres autem
et cetera ex dictis littera excepto suc-
cendentes ossa olivarum secundum illius
ydoli ritum Conpater quod in fine con-
cluditur quod estimandum est ¶
Confabris autem Hic ponitur de-
ductio sumpta que accipitur ab ydolorum
impotencia Nam esse eorum ab homini-
bus dependet ideo dicitur A fabris
autem et aurifabribus facta sunt ta-
quam aliquid minus ipsis quia cau-
sa effectiva potior est suo effectu
Nichil aliud erunt nisi id quod
volunt esse sacerdotes qui forma
et figura ydoli fiendi tradunt
artifici Artifices etiam ipsi qui
ea faciunt Non sunt multi temporis
id est experti in sapientia Iuvenes enim
attinus videntes et agilius opera-
tes talia possunt melius fabricare
Relinquerunt autem nisi falsa id est ipsi
artifices ydolorum relinquerunt posteris
ydola que sunt falsa quia nichil
sunt quantum ad id quod representant
ut dictum est supra Et opprobrium quod
cum percipitur falsitas ydolorum im-
putatur colentibus et cultus eorum
Nam cum supervenerit illis prelium
ab adversariis cogitant sacerdotes
ubi se abscondant cum illis Et
censentiunt facto quod dii eorum impoten-
tes sunt ad salvandum Nam cum
sint lignea et sculptura sciunt quod
ea quod falsa sunt agentibus uni-
versis ¶ Hic videtur esse ...

de tempore christi in quo per ordinem
decreta sunt predicatione apostolorum
et aliorum christi discipulorum Quod con
cluditur Unde ergo notum est
Regem regioni Hic ponitur de
ductio septima ad idem et accipitur
ex operibus divinis que non apparent in
idolis sed magis contrarium Regem re
gioni non suscitant quod est proprium dei
a quo est omnis potestas terrena neque plu
viam hominibus dabunt sicut deus
facit neque iudicium discernent quia di
scretionem non habent et tamen hoc est proprium
eius qui sit iudex omnium quia nichil possunt sic
cornicule aliquando unumquam quia cornicu
le possunt fugere periculum in aere non
autem sic ydola Quod subditur Et
enim cum in ea inciderit ignis et parie
tem Quod concluditur quomodo ergo esti
mandum est aut dicendum illos esse deos
¶ Non a furibus Hic ponitur
deductio octava que accipitur ex impo
tentia resistendi in iniuriis cum dicitur
Non a furibus qui aliena rapiunt
in occulto Neque a latronibus qui
hoc faciunt in manifesto se libera
bunt dii eorum ex quo patet eorum impo
tentia Quod subditur quibus iniqui id est
fures et latrones sunt fortiores
furando et spoliando ydola Quod
subditur Aurum et argentum etc.
et patet Consequenter ostendit
quod creature que non reputantur dii
sunt melioris conditionis cum dicitur
Itaque melius est esse regem osten
tantem virtutem suam per effec
tum in subditis suis quam vas in

domo utile ad aliquod opus ut cy
phus patella et huiusmodi In quo gloriatur
qui possidet illud habens inde aliquam
utilitatem Vel hostium in domo ad
custodit que in parte sunt et inquiete
vel sompno quia tunc clausum est ad
custodiendum quiescentes Sol quidem et
luna et astra suo splendore sunt hominibus
utilia et emissa ad eos ad utilitates
obaudiunt quia suos cursus secundum
ordinationem dei perficiunt et utili
tates hominibus inde proveniunt Quantum
ad aerem et spiritus id est ventus in omni re
gione spirat id est perflat et nubes
similiter perficiunt cursum suum per
aerem secundum dei ordinationem Ignis
etiam missus desuper in impressionibus
igneis sed maxime subdescendens et in fulgo
re facit quod preceptum est ei quia to
tum procedit ex ordinatione dei Hec
autem id est ydola neque speciebus id est formis
visibilibus neque virtutibus ad aliquid
agendum unum eorum similia sunt Quod
concluditur Unde neque estimandum
est neque dicendum quod non possunt neque iudicium iu
dicare discernendo neque facere in fen
do vel sententiam donando Scientes
itaque quia non sunt dii quia non
apparet in eis aliqua virtus nec
per consequens sunt in aliquo timen
da ¶ Neque enim regibus Hic
ponitur deductio nona que accipitur
ex defectu divine affectionis Neque enim
regibus maledicent sed malis neque
benedicent bonis quod est proprium dei
Signa enim in celo ut statione

solis sub iosue et retrocessione eius
ezechie tempore gentibus non ostendit
sicut deus fecisse legitur et non solum
deficiunt ab operibus dei sed etiam cre
ature quod subditur Neque ut sol luce-
bunt per diem neque ut luna per
noctem et non solum deficiunt ab o
peribus creature superioris quod subditur
Bestie meliores sunt illis que pos-
sunt fugere sub tectum et aliter inimicos te-
pestatis periculum quod non possunt facere
dii gentium Ideo concludit Nullo itaque
modo arbitrandum Nam sicut Hic ponitur
deductio tertia et accipitur pro
comparatione ydolorum rebus nullius vir-
tutis effectum cum dicit Nam sicut
in cucumerario gallice espouenta
nichil custodit Nam aves videntes
quod nullum habet motum sedent super
caput eius absque timore Ita sunt
dii illorum nullam penitus habentes
virtutem et eodem modo in orto
alba spina nichil facit ad custodiam
orti et similiter mortuo proiecto in
tenebris id est inhumato similes sunt
dii illorum quia nichil plus possunt
quam corpus mortuum in terra sepul-
tum A purpura quoque qua induunt
ydola et marmore id est simile alii con
fitiunt ydola Hoc eodem enim marmore
aliquando de una parte fit ydolum et
de alia sternitur platea aliter litteram
emendando que supra tineant supple
non apparet id est non apparet aliqua
ratio quare ydola sunt superiora

vel melioris conditionis quam purpura
qua vestiuntur vel marmor unde
formantur ex quo concluditur Scietis
itaque quia non sunt dii etiam sicut dii ydola-
trarum Postremo comeduntur quod dupli-
citer intelligitur Uno modo quia a
latronibus seu raptoribus venduntur
et sic precium eorum comeditur Alio
modo quia per longam durationem a ver-
mibus corroduntur si sunt lignea
et erubigine consumuntur si sunt
metalica et ab hostibus confrin-
guntur si lapidea Et erunt in
obprobrium colentibus quam concluditur
Melior itaque est homo iustus quam
colentes ydola et ratio subditur
Nam longe erit ab obprobriis que in
fonda sunt ydolatris et minus
dicendo signat maius Nam ho
mo iustus non solum debet longe esse
ab obprobriis sed etiam honorabilis
coram deo et angelis Qui in trinita-
te perfecta vivit in secula seculorum

Explicit epistola Ieremie prophete

Incipit postilla super librum Iudith
capitulum primum